Ex vetusta admodum icone Constantinopoli olim depicta

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΙΩΑΝΝΟΥ

ΑΡΧΙΕΠ. ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠ.

ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI

CONSTANTINOPOLITANI

OPERA OMNIA

QUÆ EXSTANT,

VEL QUÆ EJUS NOMINE CIRCUMFERUNTUR,

Ad Mſs. Codices Gallic. Vatic. Anglic. Germanicoſque; necnon ad Savil. & Fronton. Editiones caſtigata, innumeris aucta: nova Interpretatione ubi opus erat, Præfationibus, Monitis, Notis, variis Lectionibus illuſtrata, nova S. Doctoris vita, Appendicibus, Onomaſtico & copioſiſſimis Indicibus locupletata.

Opera & ſtudio D. BERNARDI DE MONTFAUCON, *Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, opem ferentibus aliis ex eodem Sodalitio Monachis.*

Editio prima Veneta accuratior ac nitidior, cui accedit emendationum Elenchus.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS. M.DCC.XXXIV.

Ex Typographia JOANNIS BAPTISTÆ REGOZZA,
Sub Signo S. Joannis de Deo, in Vico S. Leonis.

CUM GRATIA ET PRIVILEGIO EXCELLENTISSIMI SENATUS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

PRÆFATIO.

DIU expetitam S. Joannis Chryſoſtomi Operum omnium Editionem a multis jam annis paramus: neque enim poterat res, tam operoſa, tam ampla modico temporis curriculo concinnari. Bibliothecæ ſunt, non liber, tanti Doctoris Opuſcula, Commentaria, Epiſtolæ. Ea vero non uno in loco ſimul collecta comparent in Bibliothecis Manuſcriptorum, quod in aliorum Scriptorum operibus ſæpe contingit; ſed undique diſperſa carpere & colligere eſt opus: acciditque non ſemel, ut cum omnes Europæ Bibliothecas in caſſum percurreris, in angulo tandem ea, quæ diu exquiſieras, deprehendantur. Id quantivis laboris ſit, libenter ſuſcipitur, quando de Joanne Chryſoſtomo agitur, tanto doctore, oratore ſummo, qui rem Chriſtianam plus, quam alii omnes, tum qui præceſſerunt, tum qui poſt illum floruerunt, eloquentiæ ornamentis decoravit. Is a puero divinis humaniſque literis operam dedit: a Libanioque inſtitutus tantum profecit, ut in extremis agens Libanius profeſſus ſit, ſe Joannem ſibi ſucceſſorem deſtinaturum, niſi is ſibi a Chriſtianis abreptus fuiſſet. Forum forenſeſque cauſas tantiſper ſectatus, brevi a cœpto reſiliit, ac Chriſtianæ prorſus diſciplinæ ſeveriorique vitæ inſtituto ſe totum dedidit, ut in ejus vita ad calcem Operum accurate, quantum fas erit, adornanda, pluribus narrabitur. Juvenis adhuc eximia dedit ingenii ſpecimina; Parænefes nempe ad Theodorum lapſum, libros ad Demetrium, ad Stelechium, ad Stagirium & ad alios: quæ opuſcula præclarum referunt oratorem: limatiores ſunt libri de Sacerdotio, in iiſque deprehendimus Chryſoſtomum Chryſoſtomo eloquentiorem. His veluti præludiis ad orandi munus ſe comparabat Joannes: qui Presbyter Antiochiæ annis duodecim, Epiſcopus Conſtantinopoli quinque ſexve annis, a concionandi officio nunquam deſtitit, inque ſui admirationem totum rapuit Orientem. Paratus, imparatus accederet, omnia ipſi prona erant, eo ſemper dicendi genere uſus, quod majore ad perſuadendum momento futurum eſſet. Ejus orandi ratio plus habet nativæ elegantiæ, quam artificioſæ diligentiæ: ſicubi arte utitur, ita rem temperat, ut lateat ſemper artificium & quadrandæ orationis induſtria. Expedita & profluente verborum copia loquitur, concinnitatis leporiſque plena, ut mirifice ipſi competat illud Homericum,

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Perſpicuitate nemini concedit, niſi fortaſſe omnes ſuperet. Inventione, quæ ex ingenii felicitate naſcitur, univerſos quotquot hactenus fuere oratores longe retro relinquit. Inexſpectatis ille modis rem propoſitam vertit, & qua via nemo divinaſſet ad ſcopum tendit, idque ita libere expediteque, ut re perſpecta putes eum nulla alia poſſe via, nullo curſu feliciore ad deſtinatum pergere finem. Verum quia nihil natura gignit omni ex parte perfectum; nihil ars profert omnibus abſolutum partibus & numeris, unum fortaſſe erit, quod in Oratore noſtro reprehendas, troporum nempe ac ſimilitudinum frequentiam, qua ad nauſeam uſque redundat oratio. Sed id vitii ævo potius Chryſoſtomi quam Chryſoſtomo adſcribas: quandoquidem ille, tali concionandi genere uſus, omnium ſibi conciliavit exi-

Tom. I. a

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΙΩΑΝΝΟΥ

Ἀρχιεπισκόπε Κωνςαντινουπόλεως

ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ,

[a] ΛΟΓΟΣ ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΟΣ

Εἰς Θεόδωρον ἐκπεσόντα.

A ΤΙΣ δώσει τῇ κεφαλῇ μου ὕδωρ, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς μου πηγὴν δακρύων; εὔκαιρον καὶ ἐμοὶ νῦν εἰπεῖν, καὶ πολλῷ μᾶλλον ἢ τῷ προφήτῃ τότε ἐκείνῳ. εἰ γὰρ καὶ μὴ πόλεις πολλὰς, μηδὲ ὁλόκληρα ἔθνη μέλλοιμι πενθεῖν, ἀλλὰ πολλῶν τούτων ἐθνῶν ψυχὴν [b] ἀντάξιον, μᾶλλον δὲ καὶ τιμιωτέραν. καὶ γὰρ εἰ κρείττων εἷς ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, ἢ μυρίοι παράνομοι, κρείττων ἄρα καὶ σὺ πρότερον ἦσθα τῶν μυριάδων τῶν Ἰουδαϊκῶν. B ὥστε οὐδεὶς ἄν μοι μέμψαιτο νῦν, εἰ καὶ θρήνους τῶν ἐν τῷ προφήτῃ κειμένων πλείονας ἀναγράψαιμι, καὶ σφοδροτέρους ἐπιθρηνήσαιμι ὀδυρμούς. οὐ γὰρ πόλεως πενθῶ [c] κατασκαφὴν, οὐδὲ παρανόμων αἰχμαλωσίαν ἀνδρῶν, ἀλλὰ ψυχῆς ἐρήμωσιν ἱερᾶς, καὶ ναοῦ Χριστοφόρου καθαίρεσιν καὶ ἀφανισμόν. τίς γὰρ τὸν κόσμον τῆς διανοίας τῆς σῆς, ὃν κατέφλεξεν ὁ διάβολος νῦν, εἴ τις ὅτε ἔλαμπεν ᾔδει καλῶς, οὐκ ἂν ἐστέναξε τοὺς θρήνους ἐπιγραψάμενος τοῦ προφήτου, C καὶ ἀκούων, ὅτι χεῖρες βαρβαρικαὶ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων ἐμόλυναν, καὶ πῦρ ἐπαφεῖσαι πάντα κατέκαυσαν, τὰ [d] Χερουβὶμ, τὴν κιβωτὸν, τὸ ἱλαστήριον, τὰς πλάκας τὰς λιθίνας, τὴν στάμνον τὴν χρυσῆν; αὕτη γὰρ αὕτη ἡ συμφορὰ πικροτέρα ἐκείνης, ὅσῳ καὶ πολλῷ τιμιώτερα ἐκείνων

SANCTI PATRIS NOSTRI

JOANNIS

CHRYSOSTOMI

Archiepiſcopi Conſtantinopolitani

PARÆNESIS ſive ADHORTATIO

Ad Theodorum lapſum.

A QUIS dabit capiti meo aquam, *& oculis meis fontem lacrymarum?* Jer. 9. 1. Id longe opportunius nunc dicam, quam ille quondam Propheta. Licet enim non urbes plurimæ, non gentes integræ deplorandæ mihi ſint: at animam defleo hujuſmodi nationibus dignitate parem, imo etiam pretioſiorem. Nam ſi vel unus qui voluntatem Dei faciat, ſexcentis impiis melior eſt, ſane tu melior antea eras B innumeris illis Judæorum millibus. Quamobrem nemo mihi vitio vertat, quod fletum aſſumam longe majorem, luctumque acerbiorem, quam ille Propheta litteris dederit. Non enim urbem everſam lugeo, non improborum hominum captivitatem: ſed animæ ſacræ vaſtitatem, ac Chriſtiferi templi excidium atque ruinam. Si quis enim ornatum mentis tuæ, quem nunc exuſſit diabolus, cum ſplendore fulgeret probe noverit, annon ingemiſcat & C Prophetæ luctus uſurpet; ſi nempe audierit barbaras manus ſancta ſanctorum polluiſſe, & ſubjectis ignibus omnia combuſſiſſe, Cherubim, arcam, propitiatorium, lapideas tabulas, urnam auream? Hæc ſiquidem, hæc calamitas tanto illa acerbior eſt, quanto pretioſiora illis

a In hac emendanda Parænesi [illegible] ſumus quatuor Codicibus Regiis & quinque Colbertinis. Unus Regius & duo Colbertini habent, [illegible]. Alius Colbertinus, [illegible]. Alii ut in textu. Savil. [illegible]. Quod autem hæc Parænesis ſecunda ponatur in Edit. Saviliana, errore accidiſſe monetur in notis ejuſdem Editionis. Vide in monito ſupra.

b Savil. & Colb. unus, [illegible]. Sed omnes alii Mss. & Edit. Morel. [illegible]: lectio tamen [illegible] non ſpernenda. Paulo ante verba Savil. & duo Mss. poſt [illegible] habent [illegible]. Sed hæc in aliis deſiderantur.

c Colb. unus, [illegible].

d Unus habet, [illegible]. Mox unus cum Editione Savil. [illegible]. Alius [illegible]. Cæteri conſentiunt cum Editione Morelliana, cujus lectionem retinemus. Mox Editio Morelliana, [illegible]. Editio Savil. & unus Codex, [illegible]. Quinque alii ut in textu.